NONNULLA DE TEMPERAMENTIS MORBISQUE EX IIS ORIUNDIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA-GUILELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS SCRIPSIT ATQUE
DIE X. M. JUNII A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

JACOBUS PREISS,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
C. GRIMM, MED. CAND.
J. KŒHLER, MED. CAND.
B. PREISS, MED. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO

E. D. A. BARTELS,

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROF. PUBL. ORD., INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI, REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS, COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARII MEMBRO, ORD. LEONIS AUREI HASSIACI EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI

GRATISSIMO ANIMO DISCIPULUS

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

LUDOVICO PREISS,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, MEDICINAM PATRIA IN URBE FELICISSIME FACIENTI

PIETAS FRATERNA.

Conamur tenues grandia.
Hor. Od. I. VI, 9.

§. 1.

Vetustioribus temporibus, omnia corporum vivorum phaenomena mutata quum derivarentur a mutationibus elementa et humorum crasin afficientibus, etiam temperamentorum essentiam liquidorum, praesertim vero sanguinis et bilis, qualitati inesse mutatae censuerunt medici; unde Graecorum Κρᾶσις (temperamentum, temperatura, temperies, complexio) ἀπὸ Κεράννυμι, Κεράω. Quae Galeni opinio etiamsi falsa 1) optima esse visa est usque ad Stahlium Hoffmannum et Hallerum 2), quorum novissimus vires quoque organismi constitutivas magis in explicandis temperamentis respexit. Physiologia progrediente ista quoque explicatio amplior est facta, ita ut plurimi recentiores physiologi et pathologi 3)

---

1) Blumenbachii instit. phys. Goett. 1798, §. 78 sq. — T. G. A. Roose über die Krankheiten der Cesunden. pag. 62—78.

2) Prochaska's Physiologie. Wieu, 1802. § 141.

3) Gaubii serm. de regimine mentis. quod medicor. est. pag. 48 sq. et inst. pathol. §. 814. — Blumenb. l. c. §. 77 sq. — Rudolphi's Physiol. I. §. 233. —

(quamquam Reilius 4) temperamenta sola ab azoti, phytogenii, oxygenii et hydrogenii ratione dependere putavit) hisce fere verbis utantur: Temperamentum (lato sensu) singularem organismi humani diathesin ac proportionem in solidis succisque, viriumque motricium gradum, neque minus quoque nobis indicat, quid valeat mens ad corpus, unde receptivitas, reactio et functionum tenor singularis profluat. In his ita explicatis et quod strictiore sensu corporis constitutio, vel habitus (ἕξις Galeni), uti Hartmann vult 5), et illud positum est, quod stricto sensu peculiaris animi temperatio (temperamentum morale) vocatur. Temperamentum igitur arctissima animi et corporis conjunctio nobis esse debet, quae profunda in hominis natura est stabilita.

§. 2.

Veteres a corporis quatuor qualitatibus principalibus, quas esse crediderant, ab humido nempe, sicco, calido et frigido, temperamenta talia quatuor derivarunt 6).

Galenus hujusque auctoritatem secuti, qui, uti jam monui, in sanguine et bile complexionum varietates investigari censuerant, temperamenta numero etiam quatuor idcirco constituerunt, sangui-

---

4) Reils und Autenrieth's Archiv für d. Phys. III., 78.
5) Theoria morbi, Vindob. 1828. §. 630.
6) Galenus περὶ κρασέων 3. B. — Prochaska l. c. §. 140.

neum scilicet, cholericum, melancholicum et phlegmaticum.

Jam ante hoc tempus, imprimis vero magis postero, cum, Paracelso dominante, theosophia auctoritatem haberet et vim in medicina, astra sunt advocata ad explicanda temperamenta 7).

Hallerus 8) temperamenta enumeravit quinque, illis boeotico simul adjecto, quamvis ipse, exceptis his, innumerabilia alia gradu tantum diversa, tunc quoque alia existere jam contenderit, quae e pluribus composita esse videantur.

Metzger 9) a diversis irritabilitatis gradibus temperamenta dependere censens duo tantum adoptat, irritabile et torpidum, cui etiam Prochaska 10) assentitur, qui vero simul duo alia potius adesse vellet, scilicet temp. hereditarium et adsuetum, quae nimis parum designantia mihi videntur.

Wrisberg 11) cui accedit Consbruch 12), octo interpretatur, nempe sanguinem, sanguineo-cholericum, choler., hypochondriacum, melancholicum, boeoticum, lene s. mansuetum, et denique phlegmaticum.

---

7) Prochaska §. cit.
8) Prochaska §. 141.
9) Rudolphi l. c. §. 234.
10) l. c. §. 142. —
11) Rudolphi §. cit.
12) Physiologisches Taschenbuch. Leipz. 1817. pag. 17.

Longe aliter temperamenta Platner et Eberhard dividunt.

Aliae etiam divisiones viris Darwin, Kant, Ficker, Niederhuber, Treviran, Döllinger, Dumas placuerunt, quos magis minusve sunt secuti illustrissimi Walther, Bartels et Burdach. Ill. Bartels 13) autem statum esse quoque docet, cujus non sit temperamentum (graece forsan ακρασία), quem perfectissime tamen normalem nobis apparere oporteat. Quam acrasiam etiam Roose 14) tanquam statum quam sanissimum laudat, qui vero in mentis fictione tantum existere possit.

Ill. Rudolphi 15) temperamenta perhibet octo, quibus quaedam est similitudo cum istis Wrisbergianis, nempe temp. validum s. normale, athleticum, vivax, tumultuosum, mite, phlegmaticum, hypochondriacum et melancholicum.

§. 3.

Illis in dividendis quamquam tam perquam dissentiunt auctores, tamen adhuc Galeni divisio aptissima mihi esse videtur, non quia antiquum quasi sanctum puto (quem in modum si qua judicandi asperioribus verbis pluries jam Zimmermann 16) inve-

---

13) Anfangsgründe der Naturwissensch. B. II. §. 955.
14) l. c. pag. 106.
15) l. c. § 234.
16) Von der Erfahrung in der Arzneikunst. Zür. 1787.

litur), sed potius cum accuratissime adhuc exsignet singulorum signa temperamentorum discernentia, praesertim illa, quae ad animum pertineant, tum et experientia et observatio illam confirmare videantur, quamvis temperamentorum fons (uti jam dictum est) judicio nitatur minime circumspecto eamque ob causam jam dudum convicto. Quare plurimi scriptores recentiores 17) Galenum sunt secuti. Alii vero scriptores alia nomina putavere aptiora; sic Steffens 18), qui ceterum in mente sola temperamentum manifestari arbitratur, temp. sanguineum potius t. fruens (das geniessende) denominat, t. choler. vocat actuosum (das thätige), t. melanch. potius t. desiderii plenum (das sehnsüchtige), t. phlegm. contra t. passivum (das leidende). Alii temp. sanguineum dicunt irritabile, choler. tonicum, phlegmat. atonicum, melanch. t. torpidum. Certissime autem semper valebit illud ab ill. Rudolphi denotatum 19): „Bei jeder Annahme von Temperamenten bleibt immer eine grosse Unbestimmtheit für den einzelnen Fall, weil so vieles ganz individuell ist; dann besonders, weil die Temperamente sich bei demselben Menschen nicht gleich

---

17) Bartels pathogenetische Physiol. Cass. u. Marb. 1829. — J. Hergenröther System der allgem. Heilungslehre. 2. Bd. Würzb. 1827. — C. L. Klose Allgem. Aetiologie etc. Leipz. 1822 u. a. m. —

18) Ueber die Geburt der Psyche, ihre Verfinsterung und mögliche Heilung, in s. Schriften. B. II. p. 183.

19) l. c. §. cit.

bleiben; vorzüglich aber, weil wir selten Andere, oft nns selbst kaum hinlänglich kennen, um das Temperament auszumitteln, falls es nicht sehr entschiedene Naturen betrifft."

§. 4.

Qualis sit et quanti momenti, temperamenta hominum investigare et cognosse, certe medicorum neminem fugiat oportet, neque alium quemvis, qui sese ipsum et alios tanquam in speculo adspicere et quibus hominibus utatur oporteat, rite eos tractare velit. Hippocrates, ille studiosissimus et subtilis naturae speculator et observator, oculorum, capillorum et cutis colorem, imo ipsam vocem quam accuratissime respexit, ne minimum temperamenti signum ipsum lateret, quod forsan huic vel illi morbo prae ceteris esset obnoxium; unde factum esse memorat Zimmermann 20), ut mirabili cum fortuna et praesentia et praeterita et futura illi patuerint. Hergenroether 21) de hujus disciplinae utilitate haec dicit: „Sie weiht uns in die Kenntniss von den Grundzügen und Hauptverhältnissen ein, unter welchen das Lebensprincip bei den unendlich verschiedenen menschlichen Individuen zur Offenbarung gelangt." Quam dissone, ut exemplis utar nonnullis, et diverse, ne dicam contrarie, aliter temperati morbum suum sentiunt et describunt! quam alius ejusdem ipsius morbi decursus hujus vel illius

20) l. c. p. 271.

21) l. c. Vorrede p. 7.

temperamenti est proprius! Sic quoque huic omnia etiamsi leviora sunt horrenda, illi etiamsi graviora lenia videntur. In hoc omnia tarde, in alio autem celerrime procedunt, ita ut cuique temperamento suam esse valetudinem recte dicere liceat. Quam sat alia remedia et pharmaceutica et psychica diverse temperatis aptanda sunt? Recte igitur veterum et pathologiae theoria et physiologiae ista de temperamentis doctrina est nixa 22), quam injuste neglexit schola Browniana 23). Saepe alicujus temperamentum facile perspicere possumus; nam sicuti aegrotorum multi morbum, ita quoque temperamentum suum prae se ferunt plurimi, quamvis in genere modo hoc valere possit. Haud raro enim animi a corporis qualitatibus independentia fieri potest mira, ita ut hominis interni existere et externi repugnantiam putare liceat speciosam. Sat saepe mehercle in phlegmaticum ingeniosum, cholericum autem incidimus ingenii hebetis. Egregie igitur Hartmann 24), quam absurdum esse, dicit, si temperamentum sanguineum contendere vellemus poëtae, cholericum ducis, melancholicum philosophi, phlegmaticum esse servi. Huc Zopyri de Socrate sententia dicta physiognomica aeque revocanda est, ac illa, quam de Hippocrate tulit Philemon 25).

22) ibidem §. 94.

23) Klose l. c. §. 63.

24) Der Geist des Menschen in seinen Verhältnissen zum physischen Leben. Wien 1820. p. 50.

25) Roose l. c. pag. 84.

§. 5.

Temperamenta per se ipsa quamquam certe sub latitudine sanitatis continentur, tamen ad morbos dispositioni sunt propitia, eoque certius, quo magis ut simplicia et perfecta illa nobis manifestantur. Singulum vero quodque temperamentum singulari ad peculiarem morborum ordinem diathesi subditum esse intelligemus, quum singulum quodvis temperamentum potentias suo modo excipiat externas et suo etiam modo illis renitatur. Attamen nimis saepe falleremur, si ex contrario concluderemus, a morbo nempe ad temperamentum, quippe cum saepe primum quemdam morbo affectum cernamus (causa occasionali tunc nimirum validiore), ad quem longe aliter temperatus vere sit proclivis, tum quoque cum certo sit certius, morbis et constitutionem et cogitandi et agendi rationem mirifico modo mutari, imo mentis conditiones progigni posse, quae contra illius characterem esse videantur. Quod mihi vero maxime ad vitia organica plurima valere videtur, ita ut respectu ad hoc habito haud immerito forsan temperamentum gibbosorum, elinguium, surdorum et rel. statui posse credam.

§. 6.

Temperamentum cholericum.

(a χόλος, χολή derivandum) irritabile recentiorum ob irritabilitatem praevalentem, haud inepte forsan etiam inflatum vel arrogans vocatum, quod prioribus praesertim annis, priusquam corpus satis sit adultum,

sanguinem multis ex causis appropinquat, corporis plerumque parva vel media statura facile agnoscitur, constitutione macra, nunquam pingui 1), cutis subfusco, flavescente colore, crinibus nigris, plerumque crispis, vel etiam subrubris, palpebris multum distantibus oculisque inde hiantibus (Glotzaugen) ardentibus, fulgentibus, pulsu pleno, duro, frequente, energia quam maxima motuum musculorum excultorum viribusque pollentium, quorum fibrae siccae et adstrictae, thorace valido, ossibus solidis; firmis, qua de causa hoc temperamentum majus vitae robur exhibet et alacritatem, magnam recipiendi et renitendi facultatem; cognoscitur vero etiam physiognomia gravi, quae ingenii acumen prae se fert, vigorem, summam audaciam, superbiam et animum pertinacem, rigidum, inflexibilem. Cholericorum motus magis tamen celeres sunt quam placidi, fortes magis quam versuti; sanguinis circulatio valida et viva, ipsorum vox acuta et clara, loquela praeceps, celeris, eamque ob causam saepe haesitans.

Cholerici digestio quamvis pauca velociter edentis maxime fit intense, ipsius chylo multum inest materiae fibrosae, omnes se-et excretiones celeriter et frequenter procedunt, ipsius bilis autem prae omnibus copiose secernitur, unde sedes frequentes, non minus quoque urina, quocirca Linnaeus 2) micturientem vocat cholericum.

---

1) ibidem q. 119.
2) ibidem q. 120.

Simili modo istum ignem, qualis in hujus corpore animadvertitur, in mentis etiam sphaera cernimus ardentem; homines enim hoc imbuti temperamento animo sunt in adfectus violentissimos prono, quos domandi sat tamen vigoris habent, in indignationem et iram, in imperitandi cupidinem, in odium et obtrectationem, qui etiamsi aliorum obsequio mitigati de regula tamen diutius in nostris durare solent quam in hominibus sanguineis; sunt porro laudis et gloriae appetentissimi, sunt audaces, sui amore nimio sed non vano capti; magnanimos, generosos sese ostendunt, animo tamen inflato magis permoti. Animi affectionem nostrorum solennem praeclare et apte hisce describit verbis A. Haindorf 3): „Sie sind selten mit sich und der Welt zufrieden, und daher einer ewigen Qual und einer steten innerlichen Unruhe Preis gegeben.“ Intelligentia praediti acuta ingeniique celeritate maxime sunt idonei ad labores perficiendos ingeniosos, assiduos, agere enim et efficaces esse res iis est ad vitam necessaria.

Illa cholerici irritabilitas et sensibilitas tam magna, sicuti hepatis systema praepollens, ad vehementium copiam morborum eum disponunt, quibus multo minus subjecti sunt alii. Huc pertinent neuroses, praesertim spasmi 4) in systematis singulis

---

3) Versuch einer Pathol. u. Therapie der Geistes- und Gemüths-Krankheiten, p. 30.

4) Roose l. c. p. 128.

vasorum partibus, unde congestiones auctae ad alias partes, calor corporis inaequalis, et nonnunquam ex illis prodeunt haemorrhagiae, quae pro aetate sunt variae. Tum maxime sunt dispositi ad polycholiam, ad febres biliosas, hepatitidem, icterum, hypochondriam, erysipelas, calculos biliosos et rel. Quam ob causam temperamentum hepaticum denominari posse ill. Bartels 5) asserit. Non minus quoque vergunt ad morbos alios, praesertim hypersthenicos, qui saepe vero characterem prae se ferunt biliosum et putridum 6), ex. c. ad encephalitidem, pneumonitidem, apoplexiam et. rel. Haud raro quoque morbos cordis perpetiuntur 7). Nostris vitam gerentibus sedentariam, inprimis senibus, morbi atrabilarii facillime obtingunt, infarctus, varices, haemorrhoides, melaena. — Facile quoque in animi morbos incidunt, maxime vero in melancholiam, maniam et ideas fixas 8). Illa eorum energia functionum crises plerumque exquisitas efficit et faustas. — Diaeta quae vocatur blanda, non incitans, corporis quies et mentis, ipsis maximae sunt saluti. Rarissime tantum senectutem nanciscuntur summam 9), quum vitae ipsorum flamma nimis lucide luxurioseque candens, omnium activitas organorum semper excitata et stre-

---

5) Phathog. Physiol. p. 246.
6) ibidem p. 247.
7) ibidem p. 333.
8) Roose l. c. p. 129.
9) ibidem p. 132.

nua, perpetuaeque animi eorum commotiones internae ruinam necesse sit adducant praematuram.

§. 7.

Temperamentum phlegmaticum,

quod veteribus sic dictum phlegmatis (φλέγμα Schleim) causa praevalentis priori est oppositum, et iners quoque vocari solet. Hoc injuste temperamento sanguineo oppositum perhibet Consbruch 10). Cujus temperamenti participes, in quibus systema potius est reproductivum, cute instructi sunt molli, alba et frigida, cui supposita est tela cellulosa copiosa et laxa, capillis tenuibus, illustribus et plurime raris, oculis quidem claris sed languidis, facie pallida, obesa, quae vocatur leucophlegmatica, nec vim neque vigorem quamquam, tamen lenitatis, benignitatis, probitatis, sicuti tranquillitatis et animi characterem securitatis probante. Quorum totius corporis omnino ampli vastissimum est abdomen, gracillimae vero ac debillimae sunt extremitates. Liquida phlegmaticorum organica solidis sunt longe superiora, fibrarum est textura mollis et spongiosa, unde contractilitatem tantum exiguam eorum ostendunt musculi, ipsique igitur tarde moventur et invalide. Eorum vasa spatiosa sunt et laxa, circuitus sanguinis est segnis, quapropter molles, tardi ac debiles tanguntur pulsus; orationis eorum genus est languidum, omni orbum vigore et alacritate.

---

10) Physiol. Taschenbuch, Lpz. 1817, p. 19.

Phlegmaticorum succus gastricus et entericus, illis amphibiorum similes putandi 11), (unde nostrorum forsan voracitas,) vi maxime resolvente quum gaudeant, multa lente assumta sat quidem celeriter digerunt, sed assimilatio sufficiente caret energia et apta; quapropter copiosus eorum chylus tenuis est, aquosus, lymphaticus, sanguis eorum minime perruber cruore sat inops, eo magis vero abundat lympha. Ex quibus omnibus, nutritionem large quidem fieri, sed nequaquam fortiter, clare elucet; eorum se-et excretiones naturam ostendunt mucosam et aquosam. —

Cursui vitae somaticae segni non dispar mehercle et vita eorum psychica cernitur, cujus praecipue haec propria: vis vigorisque inopia, securitas, lentitudo, omnia tandem despicere. Phlegmaticorum animus sensibus nec validis par est neque vividis; aliquid excogitare haud amant, lubentissime cum versentur in cogitationum angusta sententiarumque veterum ac simplicium sphaera. Sponte, qualiter cholerici, nil agunt, nil suscipiunt. Ad sensuum voluptates internorum percipiendas, phantasiae et cupiditatum mere humanarum, nati non sunt. Animi perturbationum, si timorem exceperis, sunt expertes; indignatio, ira et ambitio non magis eos tangunt quam odium et invidia. Ad graves perficiendos labores contentionesque sustinendas minime sunt idonei. Somno et quiete cupidissime utuntur.

---

11) Hergenr. l. c. p. 271.

Recte igitur Zimmermann 12): „Man weiss, dass Leute, welche viel schlafen, sehr selten heftiger Leidenschaften fähig sind, weil selbst der Schlaf bei ihnen eine so bezaubernde Leidenschaft ist, dass sie alle andern verschlingt.“ Omnia ceterum perpetiendo utilitatem saepe aliis praebent, seseque ipsi semper sunt contenti. Jnjuste autem sane hoc temperamentum in genere nimis depressit Haindorf aliquantulum poetice exclamans: „Es sei eine unnütze Last der Mutter Erde, welche, wie ein Spielball, verdient herumgestossen zu werden.“

Phlegmatici, systemate posthabito nervoso, in universum morbis quidem paucioribus, et rarissime, ut mihi videtur, miasmaticis et contagiosis succumbunt; sed vasorum systema lymphaticorum et glandularum cum praevaleat, ad stagnationes humorum mucosorum et aquosorum, ad catarrhum, peripneumoniam notham, ad statum pituitosum et blennorrhoeas, ad polypioniam et congestiones passivas, plurimas ad cachexias, ad hydropem, chlorosin, phthisin pituitosam, scrophulosin, helminthiasin et rel., ad paralyses tandem et apoplexiam (serosam). Ad morbos igitur indolis adynamicae et decursus plerumque chronici cum magis vergant, haud saepe opprimuntur acutis, qui tunc in chronicos lentosque facile transeunt; nam crisibus faustis paucum in phlegmaticorum aegrotationibus confidendum est. Morbi ab activitate systematis nervosi nimia orientes,

12) l. c. p. 486.

ex. c. hypochondria, hysteria, mania, illis metuendi non sunt 13). Contra vero in animi imbecillitatem et fatuitatem facile incidunt, imo congenita ad hunc morbum ipsa diathesis tam vehemens saepe est, ut vitari vix possit erupturus, unde Cretinismus iste tristissimus. Irritamentis volatilibus adhibendis et validis, diaeta magis solida sed non nimis copiosa, mentis viribus ac corporis diu continuoque exercendis aptissime reprimitur status ille morbosus.

§. 8.

Temperamentum sanguineum,

quod etiam sensile vocatur, medium quidem tenet inter illa jam dicta, sed ad cholericum nimirum magis sese applicat. Sanguineo, qui temperamentum suum sane profert, magna inest receptivitas et sensibilitas, magis exigua autem irritabilitatis energia, solidorum teneritas, major vero fluidorum mobilitas. Ipsius corpus statura est procera formaque decora, capilli de regula e fusco candicantes ac molles; oculi illustres alacritatem emittunt et vigorem, floridus et suavis faciei color, cutis rubra et calida, physiognomia grata et accepta; colore rubro eoque hilariori sunt labia, amplum et convexum, haud raro autem quoque planum cavum est pectoris, extremitates robustae et valentes. Vultus ipsius serenus ac dulcis nil quam animum hilarem et benignum

---

13) Roose l. c. p. 138.

etiamsi variabilem, mentèmque nobis ostendit integram et claram. Cujus musculi sat firmi, intense rubefacti facilem quidem celeremque, sed brevi remittentem praebent contractilitatem. Vasorum illius systema sanguiferorum, inprimis vero arteriosum, multum praevalet, unde velociter fit circulatio, temperatura aucta et transpiratio percopiosa, ita ut facillime sudet. Pulsus tangitur frequens, plenus, sed non fortis. Sanguinei magnum plerumque cor cernitur, respiratio ipsius valida, facilis plerumque ac celeris, loquendi ratio pernix et acris.

Sanguineorum multum et velociter edentium sat vehemens est vis digestiva, chylus large celeriterque paratus succulentus et valens; unde ipsorum sanguini multa cruoris ac oxygenii copia praedito summus inest rubor, et in vita plastica sat cita organici, praeprimis sanguinis, restitutio observatur. Se-et excretiones sat copiosae celeriter fiunt.

Ut vita sanguineorum somatica facile et cito magis, quam intense et constanter procedit, ita et psychica, cujus signa haec sunt praecipua: sensus levis, variabilis, excitatus, agilis laetitiaque plenus, qui tolerabilem modo, clementem et gratam omnium rerum partem intelligit, praeteritorum mox obliviscens, semperque spebus scatet optimis ac firmis. Qui homines vitam tanquam ad fructus tantum et voluptates natam esse habent et volunt, unde illa gaudia consuetudini apta vitaeque sociali cupidissime amant. Quae eorum ad vitam socialem inclinatio et hilaritas amabiles eos suavesque reddit,

quocirca hominibus, quales nunc reperiuntur, hoc temperamentum maxime placet. Ab omni ceterum fraudulentia et vafritia alieni, potius benigni quidem sunt et liberales, sed illo honestatis studio ac virtutis rationis principia secuto certe carent; animosi et fortes sine perseverantia; sunt etiam magnanimi, sed pericula adire aliqua pro altero non valent. Inde sunt proni ad animi pathemata, ad intemperantiam ac libidinem, ad iram quoque, quam vero celerrime emittunt; sic rerum etiam vanarum, ut gloriolae amore honorisque mehercle rarissime modo deficiuntur. Ob inconstantiam animumque flexibilem facile corrumpuntur. Ipsorum virtutes non diuturnae sed caducae, ipsorum vitia nec inveterata sunt neque defixa. Ingenio abundantes facile quidem, expedite et vivide artes colunt ac studia, tamen leviter et cursim; recte igitur in sanguineis imaginatio judicio praevalere dicitur 14). Hoc temperamentum, aetate provectiore paullulum moderatum, viros perutiles probosque producere solet. Merito temperamentum felix vocari potest.

Temperamentum sanguineum, in quo tam facile extra fines et leges vis plastica egreditur, praecipue ad inflammationes meras disponit, ad febres synochales, haemorrhagias cujusvis generis, praeprimis vero arteriosas, inter quas frequentissime epistaxin in adolescentibus, haemoptoën in magis jam adultis observamus; tum etiam ad spasmos, et generatim

14) Hartm. l. c. §. 626. — Roose l. c. p. 115.

ad morbos ex irritatione nimia oriundos. Genus sequius hoc plurimum temperamento praeditum, proclivitatem ad hysteriam ostendit maximam 15). Neuroses ceterum, quae hoc temperamentum invadunt, potius sanari possunt 16), quam quae ullum infestant aliud, cum illae saepissime a sanguine ducant originem, et ad sanguinem faciliorem ars habeat aditum quam ad nervorum medullam. Congestiones praesertim activae ad partes singulas motusque febriles sanguineos saepe aggrediuntur causis etiamsi minoris momenti; qui simili modo affectionibus dolentibus quoque, quas ceterum aegerrime perferunt, facillime laborare solent. Ad morbos illos hecticos, qui viscerum obstructione oriuntur, minime sunt dispositi, eo potius autem ad tales, qui conjuncti sunt cum statu inflammatorio 17); hinc igitur in nostris phthisin floridam sat saepe animadvertimus. Ad morbos mentis sat magna iis esse videtur diathesis ob ipsorum inconstantiam, mutabilitatem et idearum amorem imperii; praeprimis vero ad moriam et maniam. Actionibus organismi quidem vividis sed nec gravibus neque fortibus coctiones atque crises omnino cito insequuntur, minime vero certe et perfecte; natura efficacem quidem sese praebet, sed non continuo, facileque nimis efficacem; unde celeriter in suppurationem ac putredinem inflam-

---

15) Roose l. c. p. 118.
16) Hergenr. l. c. p. 317.
17) Klose l. c. §. 64.

mationes transire possunt 18). Diaeta potius nutriens quam irritans motusque modicus sanguineis optime conducunt.

§. 9.

Temperamentum melancholicum

(a Χολὴ μέλαινα, atra bilis, μελαγχολία) etiam constans 19) dici posset, et priori aptissime opponitur. In hujusmodi temperatis, qui irritabilitate praediti sunt exigua, solidis nimis adstrictis liquidisque spissis, certe sensibilitas praevalet, cum vis plasticae dispendio. Principium attractionis quum in expansionis dominans cernamus, frustra hic nobis quaerenda erunt corpora quadrata et ampla. Ipsorum corpus e contrario macilentum, gracile, adipeque saepe omni orbum musculos habet tenues quidem, sed adstrictos, paene siccos. Eorum capilli sunt rigidi et nigri, cutis sicca, genae labentes, quibus fuscus est color et pallidus, parvi eorum oculi, concavi, abditi et luce tanquam obscura splendentes; frons est rugosa, facies quidem morosa et difficilis, tamen ingeniosa asseverationem, animi constantiam et gravitatem, cum tristitia, diffidentia et timiditate conjunctam, clare nobis denudat. Melancholicorum musculi viribus diu durantibus pollent, quamvis eorum motus lente et composite fiant; ipsorum habitus firmus quidem et gravis est, sed nec

---

18) S. G. Vogel's Kranken-Examen, Stendal 1796. §. 142.
19) Hartm. l. c. §. 627.

gratus neque acceptus. Circuitus sanguinis fusci, crassi, tenacis magisque venosi, tardam regenerationis vim et paucam manifestantis, cujus copiam omnino exiguam tantum observamus, lente procedit, temperatura et transpiratio permodica est, vox debilis, clangore vacuus, lingua dura motibus exaequatur; eorum venae sunt crassae, pulsus tardus, durus et parvus, et respiratio segnis.

Melancholici, qui paucis uti solet cibis, tarda nec valida est digestio, chylus tenuis, unde haud facile mutatur in sanguinem arteriosum. Ipsius secretiones, inprimis vero bilis, conspissantur; attamen dispositio atrabilaria minus quaerenda est ista in bile, quam in liene et venositate praevalente 20). Excretiones parcae sunt et rarae.

Melancholicus, cujus vitae processus somaticae quamquam temperatus majus tamen robur atque constantiam involvit, similem quoque psychen secum tenet. Stimulos externos haud facile percipit, sollicitatus autem eo fortius agit, nec tam cito exhauritur; quum expers sit sensuum celeriter variatorum, hi inde pauciores eo intimius fortiusque in animum sese abdere valent. Conatus ac studia, quae ad externum sanguineus disponit, ipse ad internum attendit; egregie igitur ill. Bartels 21), sanguineorum summum ac jucundissimum, dicit, organon visus de regula animadverti, nostrorum contra multo potius

20) Bartels l. c. p. 246.
21) l. c. p. 334.

illud auditus. Qui simul cum animi tranquillitate et aequabilitate vim atque robur quum conjungant, corporis voluptatibus multo minus sunt dediti quam temperantiae, sobrietati et gravitati. Aequo igitur animo vitae perferunt molestias. Animi eorum perturbationes aegre tantum suscitantur, sed suscitatae non minus mehercle difficulter domandae sunt; qua de causa implacabiles esse possunt et flagrare ulciscendi cupiditate, Tum prae ceteris gloriae divitiarumque sunt avidissimi. Animi ipsorum adversio ad vitam magis internam cautioque iis insita ad tristitiam, ad meditationem obnixam, ad suspicionem et diffidentiam, ad obtrectationem, ad metum et sollicitudinem ita eos deducunt, ut asperitatem postremo immanitatemque nacti congressus societatemque hominum fugiant atque oderint. Saepe ea, quae mente jam finxerunt, etiamsi forsan a vero aliena, obstinate insectantur continuoque ruminantur, unde magna iis emanat pernicies. Hoc instructi temperamento caveant oportet, ne nimis indulgeant solitudini, hominum timori gaudiorumque contemtioni. Melancholici nec magni aestimantur, ut cholerici, neque amantur, qualiter sanguinei, quocirca de nostrorum erroribus vitiisque, quae omnino magis consulto ab ipsis committi solent, severius plerumque quam horum judicatur. Haud immerito igitur infelix vocatum est hoc temperamentum. Ceterum bona indole sunt ornati, memoria praesertim tenaci, etiamsi minus vivida, contentionibusque suis assiduis permagna assequuntur. Peracre plerumque et sub-

tile habent judicium, quod tarde autem efficax multo temporis indiget spatio. Hoc temperamentum facultatem secum tenere dicitur philosophi, inventoris boni et accuratissimi observatoris.

Melancholicis, qui in universum haud facillime in morbos, praesertim contagiosos, incidunt, quod potentiis inimicis valide resistunt, nec nisi gravioribus succumbunt, multo major est dispositio ad aegrotationes chronicas, quam ad acutas, quae periculo eo majori eos adducunt. Omnia ista mala chronica, quae obstructionibus viscerum in abdomine ac circulationi humorum segni originem debent, hos maxime tangunt, infarctus igitur hepatis, saepiusque lienis (unde temperamentum lienosum vocari posse ill. Bartels censet 22), arthritis, concretiones calculosae, praesertim calculi biliosi, erysipelas, exanthemata, indurationes, scirrhi et carcinomata organorum glandulosorum, hypochondria et hysteria, haemorrhoides, alvi adstrictio et obstructio, asthma, hectica et similia plura. Cachexiae, praecipue characteris venosi, facile in eos cadunt, scorbutus, morbus coeruleus, chlorosis, hydrops, tabes nervosa et rel. Neurosibus admodum sunt obnoxii cujusvis indolis, cardialgiae, colicae, epilepsiae, catalepsi, fami lupinae, malaciae, asthmati spasmodico, asphyxiae, spasmis hystericis et rel. Inter animi morbos rata iis est proclivitas ad melancholiam ideasque fixas.

---

22) l. c. pag. 246.

Morbos ipsorum acutos, inprimis inflammationes facile non satis cognitas haberi posse censeo, quod symptomata minus vehementia et importuna, decursumque magis irregularem ac lentum nobis ostendere solent. Natura pervicax in iis cernitur, qua, si vi cogitur, symptomata turbulentissima tum oriuntur 23). Medicamina humectantia, resolventia, evacuantia, irritamenta lenia pluries repetita, activitatis incitatio, faciles quidem et expeditae corporis mentisque functiones, sed alternantes simul, optime iis conducunt. Ceterum senectutem plerumque adipisci solent 24).

§. 10.

Certe temperamenta sic mera et separata, quae modo describere conatus sum, sat raro tantum nobis occurrere constat; innumerabiles enim causae accidentales magis minusve illa mutare possunt, ex. c. qualitas alimentorum diversa, educandi et victus ratio, clima, animi cultus et ingenii (quam summum ad temperamenta commutanda remedium), res externae politicae et domesticae, opes, aetates, morbi et similia. Maxime vero est dubitandum, utrum prorsus verti possit temperamentum aliquod in aliud quoddam, cum dependeat a conditionibus physicis, quae nimis intime sunt intextae toti organismo, ne-

---

23) Vogel l. c. §. 144.
24) Consbruch l. c. pag. 18.

que raro hereditate illud propagetur a parentibus ad prognatos 25).

§. 11.

Ista igitur quatuor, quae cardinalia dicuntur temperamenta, limitibus non circumscribuntur adeo arctis, ut suam non habeat singulum latitudinem, intra quam plures adhuc gradus admittat, quibus alterum alteri propius accedat. Quin imo, cum aeque experientia ac theoria probent, coalitionem et complicationem temperamentorum diversorum simplicium in eodem homine locum habere posse (quam alii quidem auctores (Roose) non concedunt, temperamenti alicujus modificationem tantum adesse volentes), unde universum temperamentum, quod Gmelin 1) normale vocare vult, aliam atque aliam faciem induat, non repugnabit, eoque minus, cum organicorum organismum statuentium systematum magis quam unum praedominans nobis manifestari possit, quorum quodlibet propria vitae temperie gaudeat. Quibus ex fontibus magna adhuc temperamentorum modificatio, variatio et multiplicatio profluit, cujus in aestimanda varia ad morbum dispositione ratio erit habenda 2).

---

25) W. A. Haase über die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten etc. II. pag. 271.

1) Allg. Pathol. des menschlichen Körpers. Stuttg. u. Tüb. 1821. pag. 53.

2) Hartmann l. c, §. 628.

§. 12.

Temperamentum phlegmaticum cum sanguineo plerumque sese conjungit, unde t. phlegmatico-sang. fit, dum amborum essentialia coalescunt, phlegmate tamen praevalente. Interdum sese conjungit t. phlegm. cum melancholico, tali autem modo, ut corporis illud, hoc psyches habito respectu superius nobis obveniat.

T. sanguineum cum cholerico conjunctum sanguineo-chol. format, quod certissime longe optimum vocandum esse censeo.

T. cholericum cum melancholico t. cholerico-melanch. statuit, quod frequenter observari licet.

T. melanch. cum cholerico fere solo conjunctum animadvertitur, rarissime vel numquam 3) cum phlegmatico, quum ill. Bartels desiderium et melancholiam putet minime vel vix concorditer agere valere cum indolentia s. apathia phlegmatica.

Insociabile est temp. sanguineum cum melancholico, non minus cholericum cum phlegmatico; attamen observatio, ut ill. Bartels memorat 4), nobis ostendere posse videtur temperamentum gentis ipsum proprium more phlegmatico-cholerico, illud nempe a merius phlegmatico Batavorum longissime distans Anglorum.

Trium temperamentorum consociationem rarissime observandam esse arbitror; sin vero fieri po-

---

3) Bartels Anfangsgründe der N. W. pag. 537.
4) ibidem.

terit, tunc forsan illa phlegmatici, sanguinei et cholerici, vel ad summum phlegmatici quoque cum cholerico et melancholico, quum de sanguineo cum melancholico conjungendo nos minime liceat cogitare.

Omnia quatuor temperamenta cardinalia nequaquam fieri posse eidem homini ut insint, certo est certius.

Praeter connexum alius cum alio temperamento existunt quoque, quae a certis evolutionis gradibus modisque individui dependent et generis humani. Huc referendum est:

§. 13.

Temperamentum aetatum,

quarum cuilibet suum nimirum 5): sic aetatis illud infantilis temperamentum phlegmatico-sanguineum generatim nobis praebet ob systematis lymphatici praevalentiam et chylopoëtici, unde morbi nutritionis tam frequentes, ex. c. scrophulosis, rhachitis etc., tunc quoque systema vasorum cum non minus promineat, conjunctum cum ista cogitandi et agendi velocitate animique alacritate infantibns nimirum propria.

Temperamentum aetatis juvenilis certe sanguineum est, cujus summum est frui et sperare; qua aetate cum organa thoracis et systema sanguiferum maxime praedominentur, huic permetuendi sunt

---

5) Roose l. c. pag. 88.

morbi pectoris, imprimis morbi pulmonum, si qua hereditaria existat dispositio 6).

Aetate virili una cum bilis venaeque portarum systemate sensim sensimque progrediente augetur sensibilitas, animo autem tranquilliore facto ac graviore; unde istius proprium temperamentum cholericum. Quae aetas κατ' ἐξοχὴν vitiis abdominis subdita est; apud feminas annis climactericis ob mensium fluxum cessantem varia apparent pericula.

Nutritio et sanguinis circuitus aetate magis magisque ad senectutem usque provecta decrescens, pristina organorum vivacitate hebetata, sane temperamentum melancholicum producit; cui potissimum insunt aetati diatheses ad marasmum et gangraenam senilem, ad indurationes, ossificationes, lithiasin, hydrothoracem, apoplexiam, paralyses et rel.

§, 14.

Temperamentum sexus.

Mulier, systemate vegetativo praedominante, erte parvulo appropinquans ad ejusdem ipsius temeramentum quam maxime proclivis nobis ostendiur; attamen sensibilitatis in mulieribus praecipue gnantis respectus erit habendus. Viri autem, syemate irritabili validiore sicuti hepate organisque

---

6) Rudolphi l. c. §. 236.

abdominis, prae aliis est temperamentum cholericum vel cholerico-sanguineum. Huc porro adnumerandum est:

§. 15.
Temperamentum climatis et gentis proprium.

Certo et paene constanter temperamentum climaticum in conspectum nobis venit, eoque magis, ubi coelum ipsum ad aliqua inclinat extrema 7). Iisdem climatibus eadem sunt temperamenta, quae iis maxime idonea videntur. Sic aër purus coelumque serenum animum laetum et alacrem sine dubio procreare valent, aër contra humidus, nebulosus, crassus nos segnes, morosos, tristes reddit. Medici igitur hac generatim uti possunt experientia in morbis, in quibus omnia ad temperamenta commutanda referuntur. Jam veteres, Hippocratem secuti auctorem, certis corporis vivi conditionibus ac dispositionibus ipsum contrarium saluberrimum esse duxere 8): quod sat saepe probatur, quo tum excessus illarum dispositionum aliquis imminuatur. Attamen nimis non debet praevalere contrarium illud, quod potius tunc inprospera progigneret. Sic Aethiops temperamento praeditus cholerico climatico vel Castella-

---

7) Bartels Anfangsg. d. N. W. §. 957.
8) Bartels path. Phys. pag. 209.

nus melancholicus haud minus male sese haberet terris in humido-frigidis ad maria septentrionis sitis, quam harum contra terrarum incolae temperamento phlegmatico de regula exstructi illis in regionibus et climatibus 9). Generatim vero credere nobis licet, coelum humido-frigidum κατ' ἐξοχὴν temperamentum fovere phlegmaticum, mere frigidum vero phlegmatico-sanguineum, aër temperatus potissimum favere sanguineo et sanguineo-cholerico, humido-calidus aut admodum fervidus temperamento melancholico, sicco-calidus autem cholerico-sanguineo et cholerico. Seminia inde quoque morborum directa ut temperamenti propria climatici certe observamus, cum ipsorum ortum praecipue animi temperationis occasionibus diu usque agentibus debeant 10).

Ex his modo perlustratis atque ex cultus, vitae civitatisque regundae et rel. ratione etiam nationum temperamenta nobis in universum erunt constituenda; quocirca Russorum aliud esse temperamentum quam Hispanorum, aliud Francogallorum quam Batavorum, longe aliud esse Anglorum quam Italorum, plane liquet 11). Haec autem temperamenta gentis propria generatim modo valent, quum speciatim maximam exceptionum copiam habeant, ita ut, rebus multimodis allatis iisque aptis, temperamenta fami-

9) ibidem.
10) Bartels l. c. p. 236.
11) Roose l. c. p. 87 sq.

liarum quarundum propria, imo ipsa singulorum tum confirmentur 12). Ceterum etiam totius nationis temperamentum ut satis immutetur, causis idoneis et sufficientibus sane effici potest.

---

12) ibidem — Bartels l. c. pag. 53. und Anfangsgr. der N. W. §. 958.

V i t a.

Ego, Jacobus Preiss, natus sum anno MDCCCV. Zulitiae in Silesia super., patre Samuele, matre Henrica e gente Fuchs, quam praematura morte mihi ereptam lugeo, fideique veter. testamenti addictus. Primis litterarum rudimentis domi imbutus, annum agens decimum quartum, Vratislaviam me contuli, ubi Gymnasium, quod floret, Elisabethanum, rectore tunc temporis Etzlero, adii, studiaque humaniora exercui per quinquennium. A. MDCCCXXIV. maturitatis testimonio instructus Gymnasium reliqui, eiusdemque anni mense Apr. ab ill. Wendt, t. temp. rectore magnifico, in album Universitatis civium receptus, apud ill. Benedicti, t. t. medicorum ordinis decanum spectabilem, medicinae nomen dedi. In alma hac Musarum sede viros disserentes audivi hos: Ill. Wachler de Graecorum, nec non de

Alexandri magni historia. Ill. Treviranus de botanices elementis et plantarum physiologia. Ill. Klose de encyclopaedia medica. Ill. Otto de Zoologia, osteologia et syndesmologia, de anatomia corporis humani theoretica et practica, comparata et pathologica ac de foetus humani historia. Ill. Purkinje de physiologia et pathologia. Ill. Steffens de physica, de luce et coloribus. Ill. Fischer de chemia cum theor. tum pract., pharmaceutica corporumque organicorum. Ill. Henschel de pharmacologia. Ill. Wendt de materia medica, toxicologia, therapia speciali et de morbis syphiliticis. Ill. Seidel de historia medicinae, et commentar. Pharm. Boruss. Ill. Benedict de chirurgia, akiurgia, ophthalmiatrice et de arte fascias chir. rite applicandi; qui etiam dux mihi fuit benignus in clinico chir. Ill. Remer de therapia generali et speciali, de formulis medicis rite concinnandis. Idem vir cel. praeceptor mihi fuit optimus ad aegrotorum lectulos.

A. MDCCCXXVII. Berolinum petii, et mense Nov. ab ill. Bethmann-Hollweg, t. t. fasces tenente, studiosorum numero sum adscriptus, et ab ill. Rudolphi, medicor. ordin. gratiosi decano maxime spectabili inter med. studiosos receptus. Ibi has audivi lectiones: Ill. Osann de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo. Ill. Wagner, qui insigni benevolentia me dignatus est, de med. forensi. Ill. Kluge de arte obstetricia, de ossibus fractis et

uxatis. Nec defui institutionibus, quas illustrissimi Bartels, de Graefe, Neumann et Kluge ad ipsos aegrotantium lectos habent.

Quibus omnibus praeceptoribus maxime de me meritis, palam summas, quas habeo, nunc gratias ago.

Jam vero tentamine philosophico et medico examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses.

1. Inflammatio existit occulta.

2. Dentitio processum evolutionis universalem normalem nobis indicat.

3. Variolois exanthema est sui generis.

4. Non magna est scrophulosi cum rhachitide similitudo.

5. Temperamenta non sunt morbi.